


52XVII

nr 164a



# MANIFESTATIO

Exercitus Polonici,

*Contra*

Sueciæ Regem.

2 piejwa



221825

I

MANIFESTATIO

Exercitius Polonicus

1825

Succia Regem





Otum sit vniuerso Orbi, qualiter Inclytum Poloniae Regnum, totius Christianitatis Antemurale, atq; Sacrosanctae Romanae Ecclesiae fortissimum, à tot saeculis propugnaculum, iam verò toto septennio continuis bellorum motibus, atq; barbarorum irruptionibus penè conuulsam, tandem Anno præterito, eâ parte, quâ maximè adhuc florens potensq; erat, Caroli Gustavi Suecorum Regis iniustis armis peritum & distractum sit. Is solâ ambitionis & cupiditatis causâ impulsus, pro iustitia belli opportunitatem aggrediendi, atq; prædandi commodam occasionem sufficere sibi reputans, durante adhuc aliquot Annorum cum Regno Poloniae Induciarum tempore, Gentem Nostram aggressus est; neque tantum viribus suis armisq; fidere ausus fuisset, si votis suis vnus perduellis & proscripti Ciuis peruersa in Patriam & Principem non adfuissent molimina. Sic Proditoris in Maiorem Poloniam ductus manu, perfidèq; Protectionis eментitæ vsus titulo, primum Palatinatus Posnaniensis, Calissiensisq; paucorum subscriptionibus (quos non tam perfidia, quàm incauta credulitas seduxit) firmatis Articulis recepit, ac post Magnum Ducatum Lithuaniae, Lupus iste ouinâ pelle obductus intrauit, instantibusq; Genti Polonae ab Oriente Cosacis, à Septentrione Moschis, Posnaniam, Varsouiam, Cracouiam, non tam vi aut armis, quàm placida loquendo possedit. Non potuit tam repentinus Casus in omnibus, nisi eam parere consternationem, quæ etiam in constantissimos viros caderet. Hinc Regia Maiestas, Serenissimus Ioannes Casimirus, Dominus noster Clementissimus, diuertere etiam ad suos in Silesia Ducatus debuit, tot im-



minentibus periculis, & omnibus Regni Incolis eminenti  
Protectione Sueticâ fluctuantibus, permorus. Inde nobis  
quoque, ita rebus stantibus, tunc efficacius esse non pote-  
rat consilium, quàm eidem prænominatæ Protectioni Sue-  
ticæ semet subijcere, Patriæ Religionem, Iura, & liberta-  
tem eo modo conseruare. Quis enim de Patria vno eo-  
demque tempore, à tot tamq; potentibus Hostibus oppu-  
gnata non desperasset? quis tam dulciter affricanti ma-  
num Scorpioni, Protectionem promittenti, non assenti-  
ret? quis non credidisset sacrosanctè oblati promissio-  
nis? quis verbo Regio non subiecisset omnem conserua-  
tionis Patriæ certitudinem? quis non dedisset fidem tot  
Diplomatibus manu Regiâ firmatis? Sed mendax, egens,  
& Regnis Catholicorum inbians natio, non diu latere po-  
tuit. Monstrauit breui perfidiam perfidus Rex, complica-  
tisque obtrusæ Protectionis vexillis, hostilia contra Catho-  
licam Religionem, Iura, & Libertates Regni Poloniæ, ex-  
plicauit insignia. Ac ut primùm Vrbe Cracouiensi poti-  
tus, ratus iam vniuersam Poloniam se debellasse Gentem,  
in tyrannidem proripuit, conventionem cum Castellano  
Kijouiensi circa deditionem Urbis factam, & à se subscri-  
ptam, ac speciali Diplomate firmatam, omninò confre-  
git. Vniuersa, non tantum aureâ & argenteâ, sed quâ-  
cunq; minoris etiam valoris supellectili Urbis Ecclesias  
spoliauit: Campanis Ecclesiarum lytrum intolerabile im-  
posuit, omnes Ecclesias sacrilegâ manu peruestigauit, &  
si quæ cautiùs conseruata fuerant; inuenit, & abstulit.  
Sacerdotes, Religiosos, Clericos, grauissimis carceribus  
pressit, & igne etiam ac equuleo probauit, quò Thesau-  
ros Ecclesiarum ostenderent, suasque Ecclesias Contribu-  
tionibus ab ipso impositis oneratas, quàmprimùm exsol-  
uerent. Nobilium in Vrbe Domos rebus omnibus spolia-  
uit:



uit: Ciuibus Cracouiensibus sexcenta millia florenorum exsoluenda imposuit, optimo ad explendam auaritiam & cupiditatem suam vsus instrumento Afredo Vittemberg, ex ultimis finibus terræ progenito Finlando; cui, cum à Ciuibus Cracouiensibus pro tam ingenti summa ijs imposita supplicaretur, ac triginta millium florenorum munus ab illis oblatum reciperet, pro munere illicò Senatum Ciuitatis illius carcere pressit, nec dimisit quousq; sexcenta & triginta millia florenorum non contulissent. Iam autem extra Vrbem quot Ecclesias, quot Conuentus Religioforum, pauperum Xenodochia solo æquauit. In alijs verò Ciuitatibus & locis per Prouincias, omnes Ecclesias Catholicas militari depopulationi tribuit; ita quod è sacra suppelectili scorta militaria vestirentur, & Cyngari Exercitum Sueticum sequentes, in Casulis & alijs sacris vestimentis publicè ad ignominiam ritus Catholici comparuerint; ipsa etiam mortuorum corpora in Ecclesijs & Coemiterijs vltimum diem mundi expectantia Christianâ quiete, impiâ manu perturbauit. Episcopatus, Abbacias, & alia bona Ecclesiastica inter Milites distribuit, ac pias Antecessorum nostrorum foundationes, ad profanos vsus conuertit, potissimas eorum portiones hæreticis concedendo. Bona Nobilium ab omni antehac onere immunita, intolerabilibus Contributionibus afflixit, militum suorum deprædationibus subiecit, contra Christianum bellandi morem fictis verbis antea promissum, igne ferroq; in Patriam nostram sæuij: Personas Ecclesiasticas, & Nobiles viros, è furca suspendere, rotis applicare, bombardis traicere, igne admoto experiri, & alijs supplicijs afficere, absque forma iudicij mandauit. Omnia promissa, transactiones, Capitulationes à se subscriptas, & fide Regiâ firmatas, fregit & violauit. Magnum Ducatum Lithuaniae



contra priorem cum Palatino Vilnensi transactionem in Prouinciā redegit, ac Regno Sueciæ adiunxit, omnesq; immunitates, priuilegia, ac libertates, ijsdem in priori transactione concessas, contra fidem datam abrogauit: & vniuersas Poloniae Ciuitates & oppida, quæ fraude suâ & pollicitationibus, ostentatâq; e mentitâ Protectione recepit, ita deprædatus est, ut cum nihil ampliùs, quod acciperet superesset, marmora ipsa è palatijs auferre, ipsamq; Regiam Varsoviæ, marmoribus, picturis, statuis, & alijs eiusmodi ornamentis spoliare, & in Sueciam transferre non erubuerit. Arcem Wisnicz, eâ ipsâ die, quâ omnem securitatem & immunitatem eidem verbo Regio cauit, Equis omnibus, Armamentario, & maioribus æneis machinis spoliauit, ac paulò post partem Arcis exussit, & centum quinquaginta currus rebus inibi depositis onustos ex Arce eduxit, ipsum etiam Arcis Burgrabium, cui fidem dederat captiuum fecit. Officialibus militum tantam deprædandi licentiam permisit, ut quot illi essent, tot Reges videbantur in Contributionibus imponendis, dandis iuribus & exequendis. Fortunas Patriæ Nostræ Ciuium saluis Guardijs ipsis manu suâ firmatis, & militum præsidijs impositis, fide fractâ vastauit, diripuit. Vnicum tandem Regni Poloniae solatium, Beatissimæ Immaculatæq; Virginis Czesstochouiense Cœnobium, in quo tot per Orbem Christianum miraculis clara Beatissimæ Virginis Imago, à Sancto Luca Euangelista depicta asseruatur, euertere voluit, omniq; armorum genere globis maioribus, & ignibus artificialibus die noctuq; illud petijt, ac quatuor septimanarum obsidione pressit, ut hoc Catholicæ Religionis propugnaculum, cultum nempè Sacratissimæ MATRIS è Catholicissimo Regno aboleret, ac Lutheranae suæ sectæ Populum fidelem eo faciliùs deuoueret. Quo verò faci-  
lius



Iiūs sacrilegum suum intentum Ministris suis declaratum,  
de extirpanda è Regno intra triennium S. Rom. Ecclesia  
ad executionem deduceret, Brandenburgum ad belli socie-  
tatem pertraxit, ac fidefragum hunc, ac ingratum Regni  
Poloniæ Vasallum, antiquum à Romana Ecclesia Aposta-  
tam, novis spolijs è bonis Ecclesiasticis Episcopatum,  
Prussiæ auxit. Tot itaque, tantisque rationibus permoti,  
non possumus diutius sub tam impij Regis protectione  
permanere, huicque ejus perfidæ tutelæ abrenuntiamus,  
& eandem eiuramus, ac ipsum Carolum Gustavum Sue-  
ciæ Regem, hostem Patriæ & Gentis nostræ, ac Sanctæ  
Romanæ Ecclesiæ Catholicæ unà cum omnibus ei adhæ-  
rentibus declaramus, & contra ipsum eiusque sequaces,  
ad ultimum spiritum, pro aris & focis Nostris Nos pugna-  
turos sacrosanctè vnus alteri iuramus. Accedimus itaque  
ad Nostram Rempublicam, cui post DEUM vitam fortu-  
nasque nostras debemus, nec ab ea recedemus, quousque  
Patriam Nostram ab hoste non vindicauerimus, Serenif-  
simumque Regem Nostrum ac Dominum Clementissi-  
mum IOANNEM CASIMIRVM, pristino & pacato Re-  
gni statui non imposuerimus, in quo ut Maiestatis Diuinæ  
auxilium humiliter proiecti imploramus, ita coram Ma-  
iestate Diuina totaq; Curia cœlesti, ac vniuerso Orbe ea-  
dem manifestamus, ac de his omnibus solenniter prote-  
stamur. Quam nostram Manifestationem & Protestatio-  
nem ad perpetuam rei memoriam Actis Terrestribus in-  
feri curauimus. | Datum in Zembrovv Die 2. Mensis Mar-  
tij, Anno Domini 1656. |



